

ALTERA

SECRETISSIMA

INSTRVCTIO

Gallo-Britanno-Batava.

FRIDERICO V.

data.

EX BELGICA IN LATINAM LINGVAM VERSA, ET OPTIMO publico evulgata.





HAGÆ COMITIS

Permissu Senatus.



M. DC. XXVI.

Altera
SECRETISSIMA
INSTRVCTIO
Gallo-Britanno-Batava.
FRIDERICO V. data.

Ex Belgica in latinam linguam versa, & optimo publico evulgata,

Hagæ Comitis, permissu Senatus.

APHORISMVS I.



Lvi prensantem, plausi crescenti, instruxi regnantem, sequor exulem, ruinis tuis fidus adsisto.

——— ——— *stat pectore in isto*
Fortunâ titubante fides.

Fugêre plerique; Felicitatis illi tuæ comites, non tui fuerunt: Achates ego sum, Thesea me, aut Pyladem æstimà, utrunque præstabo. Navim tuam ubi fluctibus commiseris, cymbam meam adligabo, ut eodem in portu conquiescat, aut turbine rotetur.

Nulla meis, sine te, quæretur gloria rebus.

Malè mihi tecum esse potest, bene sine te, esse non potest.

II.

Sexto te demum appello, nec serò tamen:

—— —— *Facilis iactura est temporis acti,*
Si lux damna sequens pensaverit.

Te spes tua, sex annos fefellit, Instructorem arcuit. Altior illa fuit, quàm ut voce mea attingi posset; fortior, quàm ut tuorum cladibus mortibúsque flecti. Magnæ nominū umbræ vigilanti insomnia objecêre. amabili errore animus sibi regna finxit. Sic re ad mediū Ianum fractâ fenus computat.
sollicitis Alphius articulis,
rerúmque inanis imagine gaudet. Socer Britannus, Affinísq; inclinatus Francus, promissor Suecus, assultor Danus, incentor Allobrox, dites Venetiæ, Gabor amicus, Turca Patronus, Brunosviceni, Durlaceni, Mansfeldiani Exercitus, Saxonum vires, Cymbrorúmque. Brédæ liberatio, Genuæ expilatio, Volterinorum deditio, Helvetiorum deceptio, Gadium occupatio, opum Indianarum auersio, ita mentem tuam spei nimiam, rei vacuam obsederant, aures obturârant, ut omnem instructioni aditum intercluserint. Per scutorum thoracúmque adamantina texta Veritas, quanquam fortissima, penetrare non potuit. Fiducia felicitatis ubi mitissima est, moderata suadentes irridere contenta est, si incitata est monentē obterit: Instructiones te exasperârunt. At nunc soluta est compago futiliū, dispulsa vigilantis insomnia. Animum spe ebrium, assentationibus detorsum, reddere sobrium rectúmque debuêre clades. Contra experimenta contumacem esse, Numinis est iniuria. Si contra stimulum ultra saucius calcitrare pergas, cum salute perdes & miserationem, solamen pereuntium. Audi ergo Veritatem, nimis temeritatem luisti. Consilio novo rem auspicare.

III.

Fidem mihi ut habeas, haut rogo, merui: eam tu mihi debes. Omnibus in adulationem effusis, de periculis monui

monui solus, solus in Aula tua verum dixi. sed potentiora veris erant dulcia. Hoc pessimum habet optima Fortuna, ut simul & incerta sui sit; & secura futuri. Nunc vana evanuere, veris dedere locum. Dictis meis ad unguem respondit eventus,

Vicitque oracula clades.

Crede igitur & dicturo. Ex me fortia, ex alijs jucunda; Consultor tibi, non Tibicen advenio. Austriacis imparem te dixi.

Cuncta tibi adverso ceciderunt prælia Marte.

Aliena sectantem proprijs excussum iri vaticinatus sum: Pedem ubi in tuo ponas, non habes. Insuper & subditos tot cladibus attrivisti, & amicos Principes evertisti. Bohemos tibi fidos fore negavi. Animos, opes, plausum ad victorem transtulere. Caput deprecationis fuit, à Te tuísque se deceptos. Turcæ fidere te vetui: Auxilia pernegauit, pacem composuit, miraculum in Bassis evidens, ne auro quidem in bellum trahi potuerunt, oleum & operam Venetus perdidit. Gaborem fallacem ostendi.

—— —— medio in discrimine fessum
Destituit fugiens & sibi consulit.

Unioni te credere nolui: Ruinam illa tuam properauit, cumulavit, impulit, nosti tua tuorúmque verba. Incerta esse Principum auxilia monui. Palatinatum illi depasti sunt, Spinolæ in optimo terræ loco hyberna dederunt, pacti amicitiam sibi, fortunæ obsecundârunt: nonnulli etiam Ibero militârunt. Nimirum omnes Fortunam reverenter habent, casuro assistere formidant, lapso nolunt. Ex Venetis lentum fore auxilium pronunciavi. Legatus centies obtestatus ne exiguum quidem tulit, multa tibi dare, sibi grave: pauca, tibi inutile esse dictitabant, Reipublicæ indecorum. Allobrox insuper dolis se tuis irretitum que-

ctus est. De Franco, aliisque, quæ dixi, oracula fuère. Evenere. Atque hæc in prima instructione.

IV.

Fidem præstruxi, nunc bonus Tiresias consilium addo, & te tibi aperio. Dicam primò quid non possis. Secundò quid possis: Tu elige quid velis. Prima operosior est consultatio, multa non potes, quæ posse tibi videris. Altera strictior. Pauca enim potes. Prima sapiẽtis cura est despicere

Quid possint humeri, quid ferre recusent.

stulti inrita conati, vires, quas in profutura verti oportuit, in ventos effundunt. Hoc cavere te velim. Abstine inutili labore, ut profecturo sufficias. Sed ad orbitam.

V.

Bello per affinem restitui non potes. Non vult tuî causâ. Invisus es æmulo, exosus formidanti: odiorum nec causæ, nec effecta in occulto, verba tua & tuorum, literásque in Patrem asperas, in se contumeliosas, altâ mente reposuit. Ira tua improvida, dictis odia aspera movit. Regno te Socer arcuit, & moriens filium ne admitteret, obtestatus est. Ille ne ad nuptialia quidem sacra sororem admisit, nec aliâ conditione, quàm ad triumphale epulum.

Consules vocari consuêrunt, invitavit; ne scilicet venires. Meminit nuper sibi à Proceribus negatam tibi decretam vivo Patre pecuniam, Puritanorum in te amorem suspectat. Ultrò te accusat, tuâ te pertinaciâ miserum esse pronunciat. Pœnâ capitis nuper sanxit, ne regni turbæ foras efferrentur, timet, ne exulceratos Procerum animos cognoscas, & illo sis unguis in ulcere. Incautè tu Buchingami secreta Gallis credidisti. Carolus etiam album pulverem de tua pyxide metuit. Procerum animi discordes, Puritani te opum Ecclesiasticarum pactione Regem sibi destinant, stirpem

stirpem regiam, Iacobi Filiam, & Nepotes in regnum adsciscendos, tot hæredum præsentia Carolum in officio continendum dictitant: fremunt ista apertiùs, quam ut celari queant. At nunc plures eorum mutatis animis tibi sunt infensi, quòd Buchingamo amicum arbitrentur, eum per filiæ regias nuptias celsa petere & inexorabilem vindicem fore suspicantur. Lupum itaque auribus tenes. Si Buchingamo jungeris, proceres offendis, qui tibi subsidia negant, sine eorum nervo rex invalidus est. Si Buchingamum abdicas, Regem exasperas, cui in manu est, non modò facilis, sed etiam utilis vindictæ modus, si nihil donet. Dani Legatus sociorum mentem Britanno aperuit, Unius amore impediri pecuniam. instructionem nôsti. Certè florere te non vult, ne illicere Proceres valeas: meminit iam ante sex annos filium Pragæ ludibrium diadematis suscepisse, expectatione suæ mortis, nec esse in se quicquam, quod tu magis ames, quàm invaletudinem, nec quod magis speres, quàm exanimationem.

VI.

Ne potest quidem restituere. Fessus est bello, regnum exhaustum est, ærarium vacuum est, nisi quà Norvvegiam respicit, illâ parte enim ære multo, sed alieno, pressum est. Proceres bellum detestantur, pacem poscunt, aurum abnegant, pernegántque: nobiles negant, Londinenses non habere se pejerant, flagitationem vicenis millibus redimere vellent. Domi sibi metuunt, diffident â Rege, præsidia disponunt. Hyberniam Exercitu vix tuentur, poscit opem Danus, Batavúsque, commercia intercidunt, extima regni spoliantur, intima fraudibus expilantur, naves intercipiuntur, Belgium inquietum est, Hispana classis stat in procinctu, Auster & Zephyrus procellam minantur, aurum in fenus Danicum, & Aulæ ministeria non sufficit. Familia

regia

regia regiè esurit, minuitur. nec cogere quidem Reginam suam poterit, ut dotem eius in Bellum Danicum insumat, nisi vexari lite Uxoriâ malit. Francus offensus est, socij abalienati; inter hæc nutat anceps Hybernia, Scotia contumax, Anglia mutationis avida rerum novandarum quæritoccasionem. Rex omnium offensas incurrit,

Defendat vetulum, Scoti Iovis ut Ganymedem.

Cui Seiani fatum obtingat, amicitiam ejus grauiter lues. Inter ista tu speras fore, ut maximum exercitum difficili aditu, difficillimo bello in Palatinatum ducat & contra majores copias diu bellum trahat, vincátque? aut Danicæ avaritiæ charybdin impleat? Non lascivit foris, cui metus est domî. An ardente Londino, aquas feret Heydelbergam? Proximus ipse sibi est, & nimiùm vicinus ex offensa Francus. Quæ verò nobis spes victoriæ foris, cùm miles non nisi pressu & coactu ad exosa arma sit compellendus: at qui pugnat, invitus, spontè fugiet.

VII.

Non reducet bello te Francus. Cursum Hispanæ potentiæ sisti ille exoptat, non augeri tuam: propositum suum aliâ tentabit viâ. Verba & Legatos pro tua causa, non arma pactus est. Alijs tua pollicitus est, si sibi fœderari velint, non est illi cordi miseria tua. Coronæ amicos quærit suæ, non tibi Coronam. Habet & alias causas. Nam acta tua damnavit: religione retrahitur. Affinem proritare periculosum ducit, Sorori & Sororis Filiæ bellum consanguineum inferre, nefas judicat. Arma Rhetica & Ligustica abominatur. Damna animo pensat, Pacem petijt. Papam & Papæ amicos offendere se velle pernegat. Excommunicationem metuit: eius effectus, id est, rebellionem Principum horret. Nunquam unius exulis amicitiam omnium vicinorum paci putavit anteponendam. Habet in Consilio & cubiculo

hostes

hostes tuos. optimus Consiliariorum Gallicorum disertè dixit: Bello Germanico plus damni facturam uno mense Galliam, quàm valeant tres Palatinatus. Hinc Dani Legatus summa 50000.m irrisus magis, quàm adjutus abscessit, & quidem iratus: contumeliosè etiam prolocutus, *Levitate Gallicâ gravari Daniam.* Batavis nil datum, conditiones novæ positæ, & jactatæ de prodita Rupellana victoria repetundæ. Nulla illi causa est tui juvandi multæ deserendi. Principum potentissimi & frater offensus, alij timent exauctorationem, alij offensum, omnes Richelium. Ubi multi amici, unus inimicus, nulla est securitas; at illa in turba multi hostes, vix unus amicus.

VIII.

Nunquam tutum est credere Gallis Papistis. Nonne socijs inscijs pacem fecerunt? Et eo fœdere nitebatur tua salus, & sociorum Regum incrementa ac gloria. Non possumus non recordari Legati ejus, Hagæ studium & labores, quibus contendebat, ne Status præpotentes pacem cum Ibero inirent: Regis literæ omnibus obtrudebantur, etiam pecuniæ afferebantur; sed omnia eâ mente, ut Francis spacium esset conficiendæ pacis, ut sua ipsi in tuto collocarent, extrema periculorum in Batavos derivarent: vt jactent versutissimis versutiores esse Gallos. Eâdem te fraude petunt, inopinatò deserent, aut deprimént. Iam Grisones opprimunt, Venetos exhauriunt. Primò Bojum coluêre, illi omnia tradere tua conati, deinde te promissis lactarunt; Nunc Cæsarem. Iberúmque prensant, tuum exitium pacti: non dubia aut inexplorata loquor, quanquam horret animus. Constat ex intimis nostris, quia regia consilia communicant: constant ex oculatis, auritísque testibus; in manu sunt literarum documenta: Oratorem Francum

non ſemel iterúmve, ſed crebris vicibus magnâ animi orationíſque contentione, apud Comitem Olivarium, alióſque egiſſe, ut inter Fratrem Regis Chriſtianiſſimi, Cæſaríſque filiam nuptias conciliarent: in dotem cederet tua dignitas, prouinciáq;: Ne verò Cæſar cunctaretur, horrenda adiuncta eſt conditio: Fore ut Francus ſummis terrâque maríque viribus, Cæſari auxiliaretur, AD TOTALEM *Palatini* DEPRESSIONEM; hæc ipſa verba ſunt, hæc in Hiſpania moliuntur. Quia verò te in ima preſſum aiunt, eos qui ſublevare te conantur, Anglum & Danum etiam diruere machinantur, & tibi ſuperinijcere, ne tantis ruinis erigendis ulla par ſit in Europa poteſtas. Hinc illuſi Haſſorum Legati, hinc cum contumelia dimiſſus Durlacenſis. Hinc callidus ille Barbatus. Didiciſſe etiam Gallos regna procari. Monuit ſæpe Mauritius Gallicâ ope utendum, non fidendum fidei. Liga magna ſuper lilia requievit; illa ſubduxêre caput, & cum maximè egemus eorum operâ, inimica ſunt, vide atrocem ſententiam. Da mihi Palatinatum, & Palatinum TOTALITER deprimam. Imò quiſquis pro Palatino ſtat, ſternendus eſt.

IX.

Quæ cauſa tantæ mutationis? ubi nunc promiſſa? Ne quære; cauſa ſuprema, cauſa cauſarum, RATIO STATUS: Tecum eſt periculum, cum Hiſpano opes. Verùm multæ ſunt odiorum contra te cauſæ privatim, Buchingami te clientem eſſe, ſororis ſuæ adverſarium & inſidiatorem perſuaſus eſt. Te divortium machinari, pulveres medicatos nôſſe. Te inſcio nihil auſum Villerium. Tuis artibus Reginæ contumelias; Papiſtis exitium inferri. Te Hugonottis cariſſimum, cum illis tibi omnium ſecretorum eſſe conſcientiam. Te ab illis publicè laudari. Tibi ſi Regnum Britanniæ obtingat, Regem etiam Rupellis fore, à nullo ſibi

bi maius esse periculum. Dicta, scripta, artes tuæ & tuorum ab año 1619. releguntur, quæ odiosa sunt suggeruntur, sunt autem penè omnia nigra. Necdum vetera exciderunt; Ludovici, Casimiri, aliorum facta recensentur

Funeráque & Lachruma, miseríque incendia regni,

& pro tot cladibus Heidelbergam ducta in triumphum, Regiæ cimelia. Nuper Regi ostendit Polites ille aureus, pueritiam eius & regni primordia Palatinis armis exercita, adiutum, subornatúmque Gentium, contemptum Heidelbergæ Passompirium, data consilia Hugonottis atrocia, Bullionium armatum, & post facinora defensum. Nunc verò etiam Fratrum conatus, secessio Principum tibi, Britañis, Allobrogibus imputatur; quod omnibus malis maius est, maior iam fides Hispano; ille proditorum fidus Index habetur, nos conscij. Sed fac Velle, quî pote? Tot mala domestica, nemò fidus Regi, qui potens. Fratrum aut æmulatiò, aut crimina, aliorum diffidentia. Hoc fatum illius coronæ est, agitari, in se collidi, ministros crebrò mutare, raro meliores substituere, semper esse qui supra, qui contra Regem se efferant.

In tot populis vix una fides,

Nec par Hispano, & si par esset, dubia tamen esset contra parem victoria. Invidioso carmine te gravare nolo, sed monere

Bellet & immensa obluctetur Francus opum vi,
Durius Hispano ferrum est, patientior astus.
Flexanimúmque aurum;

quo tot Gallos emere potest Iber, quot regno tradẽdo sufficiunt. Ego magnam inter illos Reges amicitiam fore auguror. Hispanus Hugonottas auxilia precatos, portus ultro offerentes non reiecit tantùm, sed & indicavit. Magnâ affinitatis bene cultæ laude, quamvis hostis noster, merito

extollendus, qui proditionem tam fructuoſam repudiavit. Hinc igitur ſpes nulla, præſertim cùm turbati regni, alienatorum Principum, diſcordia Fratrum ab Hollandis, Sabaudo; téque, ô Domine, originem eſſe ſuſpicetur. Cur igitur illi fidam, cui Papa non diſplicet? omnia ingerit Cardinalis? an tu exiſtimas Cardinalem, cui ex tua pernicie opes, gloriáque apud Papiſtas certa petitur, malle cum dedecore, & periculo, tuam agere cauſam? crede mihi tota illa machina, de tua TOTALI DEPRESSIONE, opus eſt Cardinalitium, qui nunc ex tua clade gloriam quærit, quam ex felicitate habere non potuit.

X.

Non reſtituent te Potentiſſimi Status Belgici; vile eſt apud eos nomen perſeverantis exulis; res oneroſa. Ideo nuper Luſitanum excuſſerunt. Faſtidiunt pauperem, & in ſordibus regiæ dignitatis imitamenta ſubſannant. Acre Secretarij dictum nôſti. *Honori te Batavis eſſe, apud eos enim reſidere grandiſſimum Europæ mendicum, te præſente.* Iam etiam odiſſe incipiunt; Nam odium tui ſine ſumptu judicant eſſe, amicitiam conſtare impendio. Tuâ causâ credunt, Cæſarem velle clauſa flumina, ſublata commercia, luere ſe tuam Proſcriptionem opinantur; jam etiam illud agi; ut hoſtes Imperij judicentur. ante nunquam ita Cæſarem & Hiſpanum conſenſiſſe, nunc te communem hoſtem potentium ſociare mentem, alios Reges, Principéſque etiam cognatos tuam præſentiam excutere; odioſiſſimum exulem velut ſpinam ſuæ Patriæ infigi; mallent in Britanniam te migrare. Gliſcunt etiam Naſſoviorum & Arminianorum violentæ ſuſpiciones, quaſi inolitâ ambitione Principatum tentaveris. Deinde ſuis ipſi damnis confligantur; Tributa ſolita minuuntur, vix tertía pars ſupereſt; creſcunt impendia; Regum auxilia decreſcunt; Penſiones annuæ &

fenora,

fenora, mox reditus ſuperabunt, artium Mechanicarum nulla ſunt precia, rerum neceſſariarum, ut lignorum, æris, ferri; Lanificij, lini, aliarum, ſumma inopia.

Accedunt malis domeſticis bellicæ calamitates, claſſes captæ, depreſſæ, negotiationes ob diſcrimina ſuppreſſæ; intra biennium ſexcenta & amplius grandia tormenta bellica amiſſa. Proceres concordes nulli, nullæ Urbes, Friſij vectigalium immunitatem petunt, opem à Bimeſtri ſperant infante, quem exoſo, pulſóque opponunt rectori: non ignari æmulationum inter agnatos. Hinc ſunt & ipſi factionibus opportuni. His ego non fidam, nec tu, ſi ſapis & ſentis. Si lentè Danus egerit, aut titubârit, tuo capite Iberum placabunt: Exemplum habent Carthaginis altæ, Antiochíque Syri. Fremunt ſe à Franco inluſos & præventos. Sola Hollandia cùm vicies octies centenis millibus luctatur in annuum fenus, quod nullo aggere excluditur. Ventus ille viſcera depaſcitur. O ventum horribilem atque peſtilentem. Roterodamenſis ſocietas æris alieni habet vicies centena millia, aliæ verò ad fundum venerunt. Aliarum Provinciarum, ut debita in ſingulis minora ſunt, ita difficilior ſolutio. Friſij certè potentiſſimâ ſe Deâ, IMPOSSIBILITATE excuſant. Fides omnium extrema ſtat tegula. mutuum nemo dat: quin etiam Legatum Britannum ſtudioſè celant, & nos quoque quid cum Ibero tractent. Si pax erit, omnia noſtra ſecreta pandentur Hiſpano.

XI.

Minor etiam ſpes in Dano. Pugnam detrectat; fugam circumſpectat;

Martem habet in lingua, tremulo ſtant corde pavores.

At Fabij decus æmulatur CUNCTATIONEM vocat, hoc prætcrit nomine inertiam, à Chriſtiano maſculè exprobra-

 tam.

tam. pronuper pauco milite ingentẽ eius equitatum Fürstenbergius fudit fugavit, primam aciem tanta turba non sustinuit. Aurum à fœderatis non impetrat, nisi paucum & serum. Ne procella in Daniã ingruat, haud inscius expectat,

Nunc socijs gravis incubat, exossátque.

Nil hosti nocet impavido.

bellum quasi ronchos trahit, Saxones stativis premit, ut debiles Imperio adijciat suo, iam Bremensium arces dolo intercepit. Causa nunquam deest potentiori. Iam nunc belli sumptus ab obnoxijs potens calculator exposcit. Semel pugnam minatus est, & sanguinem dedit. Exilium tuum moratur ipse: Nec spes est, si vincat, sibi vincet, de suo augmento cogitat, de tua restitutione nihil, nisi prætextum habet. Vin' vera scire? Mansfeldicas, Brunosuicenas, Hassicas clades tacito mentis gaudio sensit, familiares aperto; hoc nocturna colloquia, & libera vina nos docuerunt. Solus ipse potens esse vult, quâ Visurgis & Albis fraterna flumina merces externas vehunt. Iam etiam pacis arbitrum Cæsaris amicum subornat, tam occultè, vt plerique nôrint. Pro te non satagет, de se anxius, ut ut agat, nec ipse est bellator, nec Bellatores habet Duces. De Halberstadio etiam cum viveret, non magis quàm de mortuo speravi. Ille temeritate præsilire, metu resilire, polliceri multa, post minari, nunc Fratrem pellere, nunc pœnitere; homo fluctuantis cerebri, & impar sibi, in quo nunquam innocentior phrenesis fuit, quàm illa, per quam anima expulsa est. Dubium nulli erat, eum proditis socijs se Cæsari iuncturum, Alberti veteris exemplo. Fuxius eum, causæ nocere semper questus est, fugacem, sapientiæ incapacem, pari censura stringens Mansfeldium.

XII.

Quid de Mansfeldico nobis promittimus? Vnde non fu-

fugit? Incuriosus militiæ, avidus prædæ, quæ ex pacato, quàm hostico est paratior. Nulli rei magis idoneus, quàm ut ex amicis hostes, ex hostibus victores faciat. Testis Lubeca, Saxo, Brandeburgicus. De illo etiam Gabor questus est Cæsari: *Cladem eius non lugeo, ipse eam insuper habet, ut cui præda sit cara, vilis militum sanguis.* Hinc iam à tua causa alienati Saxones, amicorum hostilitatem experti, Nulla spe meliorum successuum ad belli finem anhelant.

Vbique vastitas, fames,
Et dira mortis imago.

Nec Sueco vacat tuas sarcire clades, vicinos habet adversarios; Polonia irritata est, pacem negat. Clades Borussiæ eam cautam facit, iam fortitudinem ad cotem suam acuit irata. Tyrannide potentiam subditis excussit, pacandæ Patriæ omnes vires insumit. Æger ægrum sublevare non poterit.

Fasce suo pressus alienum tollet?

XIII.

Magno Turco non est integrum. Frustra non exorandas fores pulsamus; vix nomen Palatini meminerunt Bassæ. Ne voces quidem lamentatrices admittunt.

Claustra strepunt ferrro, mentes adamante rigescunt.

Preces nostras Cæsari referunt. Vastum illud Monarchiæ corpus magnis quatitur malis, solida vi pulsatur à Persa, sauciatur à Tartaris, Cosaccisque, nec minor intra viscera pestis pugnantibus membris, & secessionem facientibus. Lacero corpori nemo prudens nova inducit arma. Itaque & Gabor nos deserit: aurum quærit, post aurum auxilia venditat, non præsentat; certo precio rem incertam vendit. Frui mavult partis. Pacem etiam tibi suadet: omnia nostra consilia improbat, & malè celat: ita Cæsari gratificatur.

XIV.

Actum quidẽ Bizantij feruidè, & à Batavo Caimecamo hoc

hoc est, Turcico Buchingamio, datæ sericæ aureæque triginta vestes, ab alijs alia dona, ut bellum suaderet in Cæsarem, sed vix efficiet. æmuli illius inde evertendi novam occasionem captant. Magna lætitia gestierunt nuper juniores nostri Aulici, cùm ex Britanno Oratore discerent, Bizantij inter Legatos convenisse, ut Gabori in menses quinquaginta talerorum millia à Ligistis solverentur, atque ita ille cum grandi Exercitu provincias Cæsaris invaderet, quod ille per Bornomissam facturum recepit, & sanè jam movet lacertos. Verùm nec magnopere nobis hoc proderit, sed odium invidiáque major orietur. Turcas Gabor sollicitat, incertum & periculosum auxilium. Deinde falso omnia nituntur, persuasum erat ab Anglo Turcis, Tillium, Fridlandiúmque à Dano internecione deletum; re intellectâ ludibrio se haberi indignati sunt. Quin Turcæ non dissimulant, non alio pacto se auxiliaturos, nisi datâ Bohemiâ & Moraviâ. Nec credunt tamen posse dari sine sanguine; Legati quidem Ligistici omnia moliuntur, sed si venerit Hispanus ille, & invito Caimecamo portam salutârit, ne ille machinæ retro vertentur. De subsidio tamen Turcico ni Ferenzius donis rem pervicerit, dubitat Britannus & Venetus Orator, & nisi Hispanus ille Hidalgo lapsus equo retrocedere coactus esset, jam deperasset; major pecunia vinceret minorem, ipse Caimecamus auro, quod fulmine violentiùs perrumpit, non inlubenter cederet. Sed & Gabor mutabilis, semper speciosas habet causas fallendi. Non est ille Turcarum status ut nova bella quærant. Gestiente nuper lætitiâ ferebantur, didito per Spachium quendam, de capta Babylonia, rumore. Sed falsa gaudij usura luctu cuncta complevit. Scribit Britanni Regis Orator, omnia prœlia, omnes expeditiones infeliciter cecidisse: supplementa properantur ut in summo periculo. Isaffis Mehemetus

Bassa

Baſſa magnam pecuniam quadringentorum millium accepit nono Maij, in rem Turcicam; ſed ob calores æſtatis in autumnum bellũ differet. Tertio die Maij triremes ad Ponti Euxini cuſtodiam egreſſæ ſunt, cum Exercitu ſequetur Baſſa Pegierius. De clade Tartarorum iam conſtat, Tiaccus Mehemetus Baſſa ſibi metuit à Polonis, petit à porta per Caimecamum alióſque, ut cum Gabore agatur de auxilijs. Quid illi præſtare in aliena cauſa poterunt, qui in ſua alienis auxilijs indigent! Si Coſaccis Poloni ſuccurrant, aut regnum invadant, magna erit conſternatio, nunc metus Turcorum quò magis diſſimulatur, eò magis ſeſe prodit. Caimecamus tamen cum Legato Franco agit, ut de pace tractetur. Itaque hinc incerta ſemper ſpes, certa pernicies. Quanquam vereor, ne tam impia auxilia petentibus exitioſa ſint. Quamvis enim in politico ſtratagemate pietas extrema ſit, videtur tamen eſſe aliquod numen regium, quod Magiſtratus jura ſanciat: cui ſit æqui & iniqui judicium. Profitetur Legatus Angliæ in omni terra quærenda auxilia, Acheronta movenda; quid ſi tamen & Cerberus ſit iratus?

XV.

Venetorum res deteriore loco eſt, quàm illâ tempeſtate cum magna pariter, modicáque negarent auxilia. Urbium, ſubditorúmque querelæ ſub onere gementium, indies creſcunt; negat Verona, negant aliæ Urbes à conditu ſuo, unquam ſe tam acerbâ vexatione oppreſſas. Querimonijs tantis violentus miles incubat, & doloris ſilentium ferox imperat. Deſperat ipſe Contarenus; deſperat Turnius, Dux ipſe clades prædicit, rebus malè cedentibus, Reformati minus poſſunt in Collegio. Nuper multa in Francum dicta, nunquam ejus fœdera ſuſcipient. Nuper dimi-

dia pars pacem, amicitiam, fœdus cum Pontifice, & papistico fœdere suasit. Et quamvis Austriacam potentiam exosam & suspectam habeant, malunt tamen Cæsarem esse potentem, quàm se perire. Incredibilia sunt, quæ Legatus Statuum de concertationibus Collegij scribit.

— *Nec tantos Austro ciet Adria fluctus.*
Nec Coro supinum mare.

XVI.

Vides quid non possis, & per quos non possis; nec alij sunt per quos possis. Spes tua alieno nititur auxilio; in quo duæ sunt res incertissimæ. VOLVNTAS & POTENTIA. Earundem rerum difficillima est perseverantia. Sensisti initio ruinæ tuæ plerisque deesse VOLVNTATEM, nunc etiam POTENTIAM;

Miserum est alieno incumbere fulcro:

nam lapsus est in alieno arbitrio. At Cæsar licet afflictus, vastas tamen habet, & fertilitate nativa dites Provincias, opésque junctas: Inde miles & nervus; Imperio etiam sublevatur; dant enim illi qui optant

Vt nec bene vertat.

Exercitus eius nostris est formidabilis. Hispanæ opes & potentia

— *Finitimis invidiosa locis.*

durare potest. Invidia illa tibi socios, non amicos conciliavit; si Livorem & æmulationem alius vicerit affectus, uti jam fieri cœptum, deserère. Non est bellator unius anni, nec donator unius aurei. Illi Regi de montium radicibus in annos singulos ramenta metalli fluentis,

Ditiáque argenti deducunt æquora Lamnas,

omnes bello fatigat, & si œconomus esse velit, evincet, longissi-

gissimo itaque bello par est. In annos singulos novus illi potentiæ gradus additur; novæ Provinciæ, novæ metallorum venæ.

XVII.

Ne fœderatis quidem invalidæ vires, Accessit illis & Papa, jungentur alij, forsan & Veneti. Et licet belli damna sentiant; insidiosam tamen pacem, & nocendi occasionibus intentam oderunt. Firmatum usu exercitum habent, aspectum eius ferre nostri non possunt, legisti ipse nuper literas Wolffenbütelio scriptas, sanè miserabiles, & desperatione plenas; Nimirum ob plurimas gravissimásque causas, non posse Danum, Urbibus à Tillio obsessis occurrere. Itaque non minore damno exercitus, quàm infamiæ flagitio, præsidia nostra in conspectu ociosi Regis, & castrorum paventium contrucidantur. At bella constant famâ; famam autem prodegerunt, qui non modò tantam inertiam non excusant, sed etiam in posterum negant auxiliari se posse. Quid ergò miseris assident? an ne sine teste pereant.

XVIII.

Difficile igitur est undiquaque bellum. Si acceleras, contra validos, & veteranos exercitus, contra victores victo pugnandum est: quod nunquam periculo, rarissimè clade caret. Si bellum trahis; hostis diutiùs durabit, opibus & suis & nostris. Nam Palatinatus uterque eorum bono colitur, & sedem belli in nostro collocat. Magno sumptu gravantur, sed evadunt tamen, & novo semper accessu vires adaugent. Necdum sacram anchoram levarunt, necdum Ecclesias oppignorârunt, necdum crucem prædicârũt bellicam, nec dum clerum armârunt: & illâ tamen facturi

sunt, si extrema tentemus. A minis nostris animos recipiũt, bellum è Dania, Britannia, Suecia nuper minabamur, præcipuam verò per Mediomatrices, aut Vogesi montes tempestatem, at illi mox copias opponunt; minas luit Bipontinus, & Sara nimiùm vicinus tuis, heu quondam Civibus. Indicium hoc est cedere nolentium. Omnia verò ita constituta atque obsepta sunt, ut nonnisi diutissimo bello, difficillimo itinere recuperari Palatinatus possit. Nulla itaque spes in armis amicorum.

Sola potest victo, pax reddita ferre salutem.

XIX.

Præclusa est, quæ fit vi via, Hâc nihil potes. incassum tot opes effusæ, Provinciæ vastatæ, fusus sanguis. Absiste, nihil ages invito successu. Vias cruentas ambulare noli; supersunt tibi semitæ duæ, mutuo nexu concordes, precum & fraudum. Regum preces sunt validæ, Exulum miserabiles. Dolis ubique locus est, etiam contra dolosos. Leoninæ laceræ vulpina succedanea esto. Precibus si partem à Cæsare impetrabis, pars illa totum trahet. Archimedes movere mundum arte se posse dictitabat; si alium mundum in quo pedem poneret, haberet. Tibi si pars Provinciæ detur, in qua pedem ponas, opes sensim colliges, & clàm exercitum, quo famam præveniens vicinos opprimas; Rationem modúmque nuper deputati Batavi docuerunt. Et sanè potuerunt hoc rustici ad Anassum, non posset Fredericus? Nec dedignare preces, etiam rogavit Turnus Æneam.

Victos non dedecent
Vittaque & verba precantum.

Non tu, sed fortuna tua precabitur, erubescet illa in te tan-

tum

tum sibi licuisse? illa eadem cùm fortior erit, Cæsarem occidet. Nôsti Lacrymas Crocodili. Cæsaris gratiam per amicos tuos parabis, quos spe & promissis adhuc tenes. De te illi, ubiqne mollia loquuntur; Nullam nisi te restituto fore pacem. Catholicos Clementiam decere. Non privandum avitis opibus Principem. Davidem pepercisse Sauli: nimis bellum esse sumptuosum. Hos promissis onera; spe impleto. Scis quo quisque loco sit gratiosus, ubi polleat. Caput rei est, cùm vis, non succedit, consilia destruere. Pone metum, nulli Principum suus deest Achitophel, qui & mala consilia det, & ita palliet, ut bona videantur, de alijs Principibus omnes & singuli; de singulis Principibus Principes id credunt, de suis nemo, vel duo, vel nemo.

XX.

Verùm quo perges ordine? An Comitia antevertes? in ipso te Coonventu lachrymis & querelis agere consultor tuus jubet, & isti consilio palmam tribuit; ego ne algam quidem. Etsi enim calamitas tua movere posset inlæsos, non tamen placabit infensos. Sua quisque detrimenta sentit; causam in te conferunt omnes, suus quemq; dolor urit; ille miserationem tui excludit, dum adhuc fervet, omnes damna computabunt, res repetent, tot votis ne deni quidem Palatinatus sufficient. Et quamvis à duobus præcipuè tuæ Provinciæ teneantur, Ibero, & Boio, Lacinias tamen sat magnas alij quoque tenent; ita ut inter duodecim sit ditio tua, & quidem potentes, divisa, quorũ nemo sponte reddet.

Boius propositi est tenax
Ibérque parto cedere nescius.

Nec minus à nobis impedimentum objicitur: publicè tecum agi nihil potest, nisi agnitâ culpâ veniam poscas, paritu-

rum pollicearis, satis dandi cautionem præstes. Cæsar gravia damna non dissimulabit; compensationem exiget. Ista si subibis dignitatem minues, & cunctis te obligabis. Quid enim queri potest, tot eriminum se reum professus? Iniurias non omnes condonabunt, contumaciam longam objectant, & ex Tartaris Turcísque quæsitam Imperij ruinam. Franci preces erunt frigidæ, vt qui placere Papistis malit, Britanni contemnentur, ut impotentis; Dani vt inimici cum odio reiicientur.

XXI.

Si precibus locus non erit, superest dolus. Fallere autem promptum erit, si Hispano, Cæsarive, aut Boio liberi tradantur educandi, religio favorem conciliabit. filijs quibusdam Sacerdotia & Episcopatus patebunt. Magnum hic potentiæ incrementum; alijs de Provincia portio reddetur; nec Britanni offendentur, facili religionis nundinatione. Nec dedecori erit illa transitio, majoribus tuis accedes, qui Papistæ fuerunt, solus Fridericus tertius & Pater tuus, reformatæ religionis fuere, pauci Lutherani. Miror sanè, non modò in Anglia, sed etiam in Germania, ita te tuósque contemni ut ne ad Euangelicas quidem Ecclesias Cathedrales vocentur, cùm id Exulibus commodissimum foret; An ille contemptus est? an alienatio? an sibi quisque bene esse, quàm alijs mavult?

XXII.

Si tamen tua te decreta tenent, nec filios aliâ religione imbui permittis, alia tentanda est via. In Batavia vide, si quid obtinere possis. Ernestus Nassovius excidit, forsan impelli posset Henricus: Puer duorum mensium claro Frisiorum admovetur, aut petitur, tu cessas? Henricum Arminia-

ni amant; Gommaristæ, præsertim Magistratus, oderunt. asperioris est ingenij, accusationibus obnoxius, te quoque exosum antè dixi, sed adlaborandum, ut potentium tibi animos concilies, omnem move lapidem, sub aliquo thesaurus erit. Rebus turbatis nihil perdere potest, qui nihil habet. Pete vel tibi vel filijs, quamcunque Præfecturam, occasio erit emergendi, nihil dedecet, quod utile est.

XXIII.

Si Batavica vel minùs, vel lentè sub manum succedant; Britannias aggredere, omnia in illo regno tument, Regem adolescentem primo impetu propelles, utpote invisum proceribus; justa vindictæ causa, defensus Buchingamius, Soceri interfector, Gener necem Soceri, quam filius negligit, ulcisceris. Nihil regno gratius, cui nihil odiosius est Buchingamio. Iungere animos tibi meliùs nemo potuit, quàm Rex, qui eos à se abalienavit: omnis tibi mora obstat, per amicos & conjuratos rem incipe, Vivunt, florentque albi pulveris architecti, qui Hamiltonio, Soceróque miscuerunt: Causam suscipe, te sinu suo regnum suscipiet, Affini amicos subtrahes, solitarium excuties. Donatiuum ostenta, Præsulum & Cleri opes, Puræ religionis sectatores illâ illecebrâ inescati, humeris suis in thronum te extollent. Scotiæ nobilitas, arida est, & avida, prædas pollicere. Offensa est impuritate Episcoporum, quos socer reposuit, offensas auge. In Anglia Proceres plerique sunt egentes, ambitiosi, sumptuosi, luxuriosi, æmuli aliorum, alienis vitijs tua virtus ad summum decus consequendum utatur. Omnes tales, præsentium sunt fastidiosi, futurorum expectatione mobiles, regnantibus infidi, pollicentibus faciles. Per eos Carolum, per te illos everte.

XXIV.

XXIV.

Nec Francus obsistet, ut sororio adsistat. Lilia non tranant æquora. Equitat non navigat Francus. Nuper pro illo Batavi vicere. nec sermones metue. successu omnis defensio justa redditur, qui victus est, nocens habetur. Victoria non quærit advocatos, sed parit; si Bohemica probavit Francus, non damnabit Britanna. Pari jure pollent, aut pari injuriâ. Quin & filio tuo obtingere possunt nuptiæ de terra liliorum. Affinis tuus meruit excidere, quia tardè juvit. Proceres Britanniæ perire justum est, quia Regem morantur, & mori malunt Buchingamium, quàm te vivere. Verùm ista dissimulabis: rerum potitus metes eminentia paparverum.

XXV.

Ardua ista videntur & periculosa?

—— —— *Nil sine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

Factum tuum est magna aggredi. Si aliud placet, quod facile, quietúmque est. Provinciam tuam universam, Franco aut alteri potenti, juráque omnia divende, & pactus alimenta quiesce. Emptor evictionem sibi gladio præstet; Tu sede procul Iove & fulmine. Pro suis quisque rebus consultat seriò, pugnat fortiter. Olim pro deditis Quirites arma sumpsere. Alienam litem si vili veneat, multi ibunt præstinatum. Saxones se Dano vendidere, bonâ initiò conditione, licet nunc duris legibus auctorentur, & illud audiant: *Vri, secari:* Graviorem sentiunt Lanistam, nomine Patroni sævientem, quàm hostem, ideòque Cæsarem respectant.

XXVI.

XXVI.

Cur in justiore causa non imitaberis Hassum: Arces ille, Urbésque & Populos, suum insuper, filiorúmque cum opibus sanguinem Franco obtulit; & ne parum seria videretur addictio, inscios agrestes biennij pene stativa passos, veteranis legionibus obtulit sacrificandos, ut illâ victimâ sanciret Gallicam servitutem. Nec movere te debet, quòd tanquam vilis Transfuga contemptus sit, legatíque eius inglorij Parisijs Cardinalium & Potentium vestigia lambant invito conatu. Nimium arduus est ad Rheni petram accessus, & nimiùm vastus: Provincias.

interluit amnis.

aspera etiam regio est,

Non Bacchi Cererísve ferax,

Francica, fœcundas quærunt sibi lilia glebas.

Quòd verò Iurisperiti imprudens factum existimant, quasi feudum Imperij exteris offerendo, ipse se abdicârit. Hassiámque ideo sine domino esse censeant, & transfugio Vasalli caducam alij tradendam, tuæ causæ nihil officit. Fortuna tua tuta est, dabis quod non habes: recipies quod non sperabas.

XXVII.

Ignavum videtur rursum de tuo jure cedere? At possessione deturbatus es. res abijt, fictio juris inanis est. Verùm aliud animosius propono. Iterum per verbi Ministros, per Catos Politicos seditionem move, tumultus cie, male cessit in Italia, Gallia, Germania illa molitio. Seditionum exitus rarò felix, plerumque in auctores vertitur noxa Sed quid metuis? Fortuna te premit, amicorum clades nobilitant, iuvat mundo ruente mori,

Vadis adh ic magnus populis pugnantibus exul.
Exitióque trahis comites.

ex tumultibus quidem creſcunt hoſtes, tu tamen potens haberis.

XXVIII.

Conſilium forte, ſed anormis Pilotj non improbo. Portum aliquem ab affine, vel Dano, aut Sueco petere ſuadet, ex illo Oceanum regnare, rem parare, filios ad bella durare, Ibera, Itala, Inda littora incurſare. Nec nova res ex Rege pirata. Jephte domo pulſus Latrocinia exercuit, & tamen Ductor Iſraelis factus eſt. Affinis fortè negabit conſpirationis metu. Danus concedet; ſed longiùs abſunt ab hoſtibus illæ Provinciæ. Ad Afros te mitterem, ſed nulla fides Barbaris, ſumma avaritia.

XXIX.

Hortatur quidem te Manicaureus, vt Ottomanidem ipſe adeas, in ægeo mari aſylum dari poſſe. Datam & Davidi Sicelegam. Ex ea poſſe te Regem unctum, ſed profugum æmulari. Verùm hoc Venetus improbat, mercibus ſuis cavendum ratus. Nec magnæ Portæ te ludibrium fieri vellem, Baſſarúmque purpuram baſiare. Itaque varicoſos Roterodamenſium Naucleros non audio. Quiſquis liber Tyranni domum ſubintrat, liber eſſe deſinit. præſtat tamen hoc agere, quàm nihil moliri.

XXX.

Ego potiùs Rupellam te voco: nam & ipſi Rupellani id cupiunt, honorificum ſibi æſtimant, aſylum dare Regibus, nonnullas vires etiam allaturum ſperant. Omnia illic tibi ſecunda ſunt. Religio una, eadémque exceptis paucis,

quæ

quæ inter arma negliguntur. Societas eorundem facinorum, quâ Reges impetuntur. Opportunitas nocendi Gallo, qui te deserit; occasio reformatos roborandi. Hoc loco tuos amicos, Puritanos in Britannia, Regis inimicos instrues, consilia communicabis, sine suspicione, negotiationum prætextu omnes recipies. si illic vires colligas, si Hyberniæ, Scotiæ littora adeas, non poteris à fortuna destitui, præstat illa agere, quàm regio titulo oneratum in Hiantia desidere, & aliorum acta legere, & sociorum audire clades, & querelas. Et illi tamen res suas agunt; quisquis sibi arat, serit, occat, messor in incerto est. Tu quid agis?

Non super ipse tua moliris laude laborem?
Arcanios miserare tuos.

XXXI.

Concitanda iterum inter hostes discordia, ad hunc finem non modò vires artésque, sed scelera etiam ipsa nefásque adhibenda sunt. Huic consilio primas, secundas, tertias, millesimas do. Hactenus quidem nihil inausum, nihil intentatum est relictum, parum actum fateor. Iterum tentandum, fortè aliquid agetur. Nimis est robustum, nimis grande corpus hostium, cui jam accessit & Papa. forte vinculum, nostris viribus, nec frangi, nec loco moveri potest, occultum discordiæ venenum si combibat, paralysi solvetur, ipsum se dividet, & in se collisum ruet. Nostra se unio cupidissimè dissolvit, jam magna Regum liga dissilijt, at inter Papistas etsi non desint querelæ; manet tamen fœdus, & communia consilia. Extremâ vi fraudum connitendum est, ut aliquos divellamus; pauca saxa si fornici subtrahis, tota concameratio concidit. Victi sæpius bellum renovavimus, magno sumptu, maiore periculo, discordiam ho-

ſtium nulla impenſa moliri licet. Fronto noſter Argentorato novas ſpes oſtentat, ad Iſtrum res fervet, miramur Gaborem quieſcere, & occaſionem capillatam non prendere. Vrſinus ſuo fertur impetu. Alectryon dolos agit, ſed cantu prodit. Nulla me res magis angit, discrucior animi, dolore rumpor occaſionem nobis perire: illæ ſi tranſeant irritæ, laqueo me induam.

Non Gallus, non arma Gabor, non Turcus & Adria?
ô tempora, ô mores?

XXXII.

Vos ſaltem, ô Helueta pectora, rapite arma. Si vultis; Suevia veſtra eſt. Vos ô Socij fidei noſtræ, & vos adſcriptitij novæ ligæ Uranij, Suitzeri, Subſylvani. An fruſtra in Friburgenſibus, Lucernatibus, Soloduranis ſategerunt Gallici Venetíque quæſtorés? Iam paucorum aſtu illaqueatos iactârunt. Verùm niſi citò rem agitis, fervor Uraniorum & ſociorum intepeſcet, in aliis Urbibus penſionarij noſtri erunt in periculo; nam & Cives & Senatores inſcios in fœdus noſtrum cogunt; Etſi enim in conſilio aliud decernitur, qui tamen ſcribundo & relegundo adſunt, Prætor & Archigrammateus, noſtris rebus cuncta addicunt, & ſuo arbitrio Senatus conſulta temperant. Macte animi Amrine!

— prait altum Sequana Rhenum

Quod ſi Helvetios Papiſtiſſimos invitos cogimus eſſe noſtros, idque valent pauci, cur non & reliquos tentamus?

XXXIII.

Verùm & Venetos & Helvetios timeo, & Gallus iterum Hiſpaniſſat, certo certius noſtra conſilia tradit Iberos

nti & aliorum, omnibus. Quid nocturnus Lucernæ conventus, Venetorum cum Mironio & Nuncio Papali? at illi ibant Basileam, in Hollandiam, Angliam. Quid opus erat nocte, si Cærimoniæ solæ agebantur? Hæc penetrare oportet; prement Francæ legiones Alpes, causæ prætexuntur. Quin & Durlachius jam Cæsari se venditat, credo Præfecturam bellicam contra agrestes ambit, à Sabaudo negatam. Magna quidem inde spes, sed vereor vt fida silentia conatus premant. Papistæ sibi facilè mutuò secreta aperiunt. Novæ Missæ mysterium non facilè cuiquam committendum. Gens Helveta non nisi decepta à nobis mulgebitur. De Papistis loquor. Berna fida est. Ducem si te legerint rem suscipe. Hoc tamen scito, ad primum fortunæ ictum fugituros.

Ferre iugum pariter dolosi

Radij picti nocte non lucent, in sereno tantum relucent, cum his nihil nisi dando peragitur; ubi fulsit nummus renident, si clausa est arca,

Tristia taurinos obvolvunt nubila vultus.

XXXIV.

Iter Suecicum cum Nestore tuo suaderem, sed multa obstant. aëris victúsque asperitas, fastus Regis adolescentis, Polonicum bellum, seditiones domesticæ, magnis agitatæ causis. Polonorum Victoriæ, Tartarorum clades, incinerata Præcopia, aliarum spolia Urbium, armis circumdata sedes Tyranni. A Sueco igitur parva auxilia, eáque inutilia.

Non facit ad vastum, parvula cymba mare.

Qui magnis egenti dat parva, vitam illi prorogat ad miseriam, micæ esurientibus iniectæ sunt irritamenta famis, non adiumenta satietatis.

XXXV.

Hæc animo fido conſultóque. Tu utere. Bellum longum, ætas breuis, ſumptus certus, eventus anceps, hoſtis pertinax, ſocij mobiles, inimici unanimes, ſymmachi discordes, exilium præſens, ſpes in longinquo, nemo tui commodi cauſa ſine ſuo commodo ſagittam tollet. Hoſtes ſucceſſu feroces, amici cladibus feſſi, liberi multi, ingenia dubia. Ex multis malis unum; è magnis, minimum elige. Ita cenſeo, & Britanna oſtenta metuo;

Qualia non capaneus, non audax amphiaraus;
Sperneret, inverſo nec Mænas torva corymbo.

F I N I S.

MC